

S. Paulus manibus Judæorum tradendum se à Præside intelligens, Neronem appellat. Navim conscendens Cesareæ, Myram Lyciæ appellit. Naufragium patitur ad Insulam Melitam Octobri exeunte. Romam pervenit mense Februarii, ubi usque ad a. 63. biennio nempè, subsistit. Onesimum ad fidem convertit & ad Philemonem scribit.

A. J. C. 61.

Epistola ad Philipenses & Colossenses. Epistola ad Hebræos. Prima ad Timotheum. Secunda ad Timotheum. Epistola ad Ephesios. SS. Petrus & Paulus Romæ martyrium consummant, anno duodecimo Neronis, Jesu Christi 66.

A. J. C. 63. 64. 65.

DISSERTATIO

DE EPIGRAPHE ARÆ ATHENIENSIS.

IGNOTO DEO Actum 17. 22.

Athenarum Urbem ingressus Apostolus, totamque Idololatricæ superstitionibus implicatam nactus, à lacrymis vix se continuit. Nulla non die ad Synagogas Judæorum, sive ad publicum Urbis forum se conferens, quâ disputationibus, quâ argumentis Judæos & Philosophos revincebat. Doctrinæ novitate commoti Philosophi illi, viro denunciarunt, ut coram Areopago se sistens, doctrinæ suæ veritatem viris illis doctissimis approbarent. In medio igitur amplissimi cœtus ita peroravit Apostolus: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiones vos video. Præteriens enim videns simulacra vestra, inveni & Aram, in qua scriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.

Quod Ignotum hoc Numen; quid Ara; quis Inscriptionis sensus; qua occasione & quonam Authore apposita, disquirunt. S. Hieronymus in Epist. ad Tit. c. 1. quem duces sequuntur plures ex Interpretibus (a), suspicatur, totam Aræ hujus inscriptionem in hanc sententiam conceptam fuisse: DIIS ASIÆ ET EUROPE ET AFRICÆ. DIIS IGNOTIS ET PEREGRINIS. Maluisse autem Apostolum plurale in singulare transferre, quod populus illis monstraret, coli ab eis Numen quoddam incognitum.

Malunt alii, designari vetustissimum quoddam Altare Athenis dedicatum auctore Epimenide Philosopho, occasione pestis totâ Urbe grassantis. Consultum enim eâ de re Oraculum declaraverat, ad cohibendam luem expiari oportere atque lustrari Urbem [*]. Accitus eâ de causâ à Creta Epimenes clari nominis Philosophus vel Magus, qui 600 circiter annis ante Christum florebat, aditum Athenas se conferens, oves albas nigraque aliquas in superiore Urbis partem, ubi situs est Areopagus, deduxit. Hic solutus dimisit, mandatis onerans certos quosdam viros, ut errantes, palantesque sequerentur; & cum spontè suâ quiescerent, immolarent Deo loci vicinioris, sive Deo cui

maximè oporteret. His executioni mandatis, statim lues cessavit. Factum inde, ait Diogenes Laertius, ut nostrâ etiam ætate, (nempè diu jam secundo Ecclesiæ seculo incepto) in agro vicisque Atticæ erecta quædam Altaria occurrant, in memoriam hujus expiationis, Dei nullius nomine inscripta. Ferunt itaque, Altaribus hisce nullam peculiarem inscriptionem apponi consuevisse; vel si quam fortè addebant, hæc tantum Deum quemcumque præferebat, qui ejus morbi Author existerit, sive Deum, qualiscumque ille esset, cui eâ expiatione litaretur. Huc igitur spectasse Apostolus creditur [b].

Aram ignoti Dei deprehendisse sibi aliqui blanduntur (c) in Pausania, Philostrato & Luciano. Namque Pausanias & Philostratus auctores sunt, coli Athenis Aras inscriptas: Diis ignotis (d); i. e. ait Grotius, plura erant hujus generis Altaria, quorum singulis addi poterat singularis epigraphe: Ignoto Deo. Et Lucianus, sive quis alius Author Dialogi Philopatris, jurat per Deum ignotum Athenarum. Addit insuper: Cum Athena venissemus, Deum ignotum nacti, cultu & gratiarum actionibus porrectis in Calum manibus venerati sumus.

Non abs re suspicaremur, Deum ignotum, de quo S. Paulus, eundem esse, qui apud Scriptores istos legitur. Scripturæ textum reddunt Syriacus & Arabicus: Deo occulto; Deo nempè, cujus nomen latet. Ad Aras à Dionysio Laertio memoratas quod spectat, cum nullam præferebant epigraphem, ut ab eodem Scriptore traditum est, aliè planè esse debuerant, ac Altaria illa ab Apostolo laudata. Si verò aliam habebant, quàm quæ ab eodem Apostolo traditur, Ignoto Deo, cur ad Deum ab Apostolo insinuatam Aræ illè referantur, nihil est. Ad hæc, Epimenidis Altaria in agro & in locis, ubi palantes oves quieverant, erecta credenda sunt; cum Aram, de qua modò, urbs ipsa Athenarum intra suum ambitum contineret. Aræ illæ dicatæ, juxta S. Hieronymum (e), Diis Asiæ, Europa, & Africa, Diis Ignotis & Peregrinis, inscriptionem habebant planè aliam, quàm quæ ab

b Grot. Voss. Beza hic. Brode. Miscell. l. 2. c. 2. Ca. saub. ad Laert. Selden. de Syn. ned. l. 3. c. 13. Hammond. alii. c Vide Grot. d Pausan. Attic. Philostr. l. 6. c. 2.

a Erasmi. Lud. de Dieu.

* Diog. Laert. l. 1. in Epimenide.

e Jeron. in. Epist. ad Tit. l. 12.

ab Apostolo refertur; ut proinde Altaria illa designare voluisse Paulum vix nosse, potuissent Areopagita. Paulò aliter hanc inscriptionem reddunt Oecumenius & Theophylactus: Diis Asia, Europa, & Africa, Deo Ignoto, & Peregrino, in singulari; quod magis ad Apostoli sensum accedit. Sed prior est inscriptio à S. Hieronymo tradita. Volebant eâ religione Athenienses suppleri iis, quæ fortè imprudentes in cultu singulorum Numinum omisissent. Quare Divinos simul honores rependebant Numinibus, per universas terrarum orbis regiones cultis, omnibus in unam Altaris & dedicationis religionem collatis. Quæ si ita fuissent, quomodo Apostolus verba ad Areopagitas faciens, venisse se nuntium jactare poterat illius Dei, cui usque adhuc divinos honores inscii rependissent? Non de uno agebatur Deo, sed de Numinibus, per universum omnibus.

Quid, rogo, Numen istud ignotum, cui Athenienses Aras dedicaverant? Numquid divini honores rependuntur ignoto? Nonne mysterium aliquod in eo silentio vel ignorantia Numinis latet? Suspicantur quidam ex Interpretibus (f), sub ejus inscriptionis ambagibus latere Deum Cæli universi Authorem. Non obscure id Apostolus ad Athenienses verbis insinuat. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic Cæli & Terra cum sit Dominus, non in manufactis Templis habitat. Moris erat apud Judæos, nullo peculiari nomine Deum suum designare; cum interim Paganis, & nomine, & origine, sexuum discretione, Imperio & nominibus distinguerent. Deum Hebræorum Dei Cæli nomine designabant alienigenæ (g), Dei ineffabilis, invisibilis (h), altissimi, æterni. Judæi pariter nomen ineffabile Jehovah sive pronuciare abstinere, vel non sine magna reverentiæ significatione angustissimum illud nomen effabantur. Samaritani, quibus idem erat ac Judæis Deus, Antiocho Epiphani declararunt (i), erectum à Patribus suis in monte Garizim Templum ignoto & sine nomine Deo, cui ad eam usque ætatem thura & divinos honores impendissent; esse se tamen pæratos exinde, ut iussionibus illius obtemperarent, Græcum Jovem in eodem Templo dedicare. Deum Judæorum incertum appellat Lucanus Pharsal. lib. 2.

f Vide Sanct. Cornel. Lorin. Menoch. Ba. ron.

g Jon. 4. 9. Dan. 2. 18. & 5. 23. Judith 5. 9. h Dio Cass. Aræton, cai acidon. i Joseph. Antiquit. l. 12. c. 7. pag. 410.

... Et dedica Sacris. Incerti Judæa Dei.

k Vide Act. 17. 22. Joseph. l. 2. cont. Apion. Sophocles, alii apud Grot. in Act. 17. 22.

ipsum fuisse Jesum Christum. Athenienses enim, quæ tenebantur superstitione, post collectum ferè ex omnibus mundi Numinibus collegium, veriti ne sedulitatem atque diligentiam suam aliquod fugisset, cui cultus & honores pro merito impenderentur, huic, si forte aliquod fuisset, Numini Aram excitarunt; hæc adjecta epigraphe: Ignoto Deo. S. Paulus, quem novi Numinis cultum in Urbem invedere tentantem, reum violatarum legum accusabant, ab ea se accusatione defendit, obtendens nihil se novi annunciare, quippe qui Deum prædicaret, cui ignorantes antea prosternebantur; Deum nempe Creatorem Cæli & terræ, ex quo salus in omnes homines provenisset. Huc sanè Paulus collimabat: numquid verò eadem sentiebant Athenienses?

Historia Scholastica, subleste fidei, & apocryphis insertum opus, narrat S. Dionysium Areopagitam aliquot ante conversionem suam annis, cum literis vacaret in Ægypto, spectasse præter consuetas naturæ leges eclipsum solis & lunæ, quæ in obitu Jesu Christi contigit, atque id apud se reputasse, nimirum ignotum aliquem Deum dura tolerare; quare Athenas restitutum, ut ignoto illi Numini suus merneret cultus, in Urbis foro Aram hanc excitaverat, de qua Apostolus Paulus verba deinde in Areopago fecerit. Hæc, invitâ licet Minervâ ab Authore tradita, approbato & quidem frequenti non caret (l).

Nec magis moramur duas vel tres alias fabellas à Theophylacto & Oecumenio relatas. Cum Athenienses bellum aliquod susceperant, ingenti prælio victi, animis desponderant, cum subito quodam spectro monentur, sinistre hujus fortune in causa fuisse, quòd nullo ipsum honore apud illos coleretur; & cum nullum esset Numen, quod suis ludis in Urbe Athenarum careret, ipse unus tantum negligetur, Evannit illicò spectrum, ne nomine quidem suo indicato. Hæc Atheniensibus erigendi Templum ignoto Deo ratio succurrit.

Aliter rem narrat Oecumenius. Violento quodam morbi genere correpti Athenienses, morbido quodam calore aded torrebantur, ut ne tenuem quidem aliquem corporis amidum paterentur (m). Frustra Deos, quoscumque urbs Athenarum colebat, supplicationibus fatigabant. Cum vana omnia intelligerent, suspicati in tantum se venisse malorum ex indignatione Numinis cuiusdam, quod se neglectum ægrè ferret, Aram ignoto Deo excitarunt. Ejus altaris epocham alii constituunt tempore belli Persarum in Græcos. Eâ occasione Athenienses supplicatæ rogaturi, Philippum ad Lacedæmonios miserunt. Eunti obviam factus Deus Pan in monte Parthenio, atque acerbè de Atheniensibus exposulavit, quòd solus inter Numina ab illis negligetur; scirent autem, se siquidem debito apud illos honore non fraudaretur, ope illos suâ juventurum. Post devictos Persas, Ara huic Numini excitata est, cui inscriptionem hæc subiiciendam duxerunt: Ignoto Deo; metu scilicet ne alterius Dei, cujus imprudentes

l Vide Sanct. Hugonem, Salmonem.

m Fromondus conjicit eandem esse luem, de qua Thucydides hist. lib. 2.

cultum neglexissent, indignationem posthac subire cogentur. Sed fabellis hisce fides ab alio non magis, quam ab iisdem ipsis Authoribus, detrahatur; nullum enim illis in antiquitate, nec in genuina aliqua historia fundamentum.

Veram erigendae hujus Arae ignoto Deo causam docuit facile S. Chrysostomus. Athenienses, qui ceteros omnes superstitione vincebant, ne quem Deum neglectum a se unquam arguerentur, ignotis etiam & incertis divinos honores ferebant. Neque id genti singulare. Incertis Numinibus Arae Romae pariter dedicabantur. Invenio plene ignotis Deis Arae proficitas, sed Aetnae Idololatria est; item incertis Deis, sed Romana superstitione est, ait Tertullianus contra Marcion. cap. 9. Strabo pariter asseverat lib. 3. pag. 156. Celtas anonymum quoddam, vel sibi incogniti nominis Deum coluisse. In Theologia Paganorum docetur, loca quaedam, nemora, & arva ab incognitis Diis habitari.

Quis Deus, incertum est: habitat Deus.

Ovidius post narratam mundi creati historiam, de Deo ejus anthore, tanquam de ignoto quodam Numine, agit Metamor. lib. 1.

Sic ubi dispositam quisquis fuit ille Deorum, Congeriem secuit.

Macrobius Saturn. lib. 3. c. 9. observat, tutelaria Urbium Numina plerumque in occulto manere, ne in obsidionibus invocarentur. Genuinum Urbis Romae, & Genii illius nomen hodie usque latet. Quare cum obfessae Urbis Numina invocarentur, haec erat precandi formula: Si Deus, si Dea est, cui Populus Civitasque Carthaginiensis est in tutela &c. Cum terrae aliquis motus contigisset, solebant veteres Romani ferias aliquas indicare (n), litando Numini hujus prodigii auctori. Sed Dei nomen, ita uti solet, cui servari ferias oporteret, statuere, & edicere quiescebant; tum ne alium pro alio nominando falsam religionem popululum alligarent; tum quia & qua vi, & per quem Deorum terra tremere, incertum esset.

Sed his ita constitutis, si Atheniensium Deus Numen erat extraneum, incertum, ambiguum, incognitum, cui Populus ille cultum redderet impium & supersticiosum, qui edicere potuisset Apostolus, ipsum esse Coeli, terraeque auctorem Deum vel aeternum ejus Filium mundi Servatorem? Si Deum Hebraeorum Athenienses norant, cur non aperta religione Aram illi dedicarent, sed inscribere maluerunt: Ignoto Deo? Quomodo tandem nosse poterunt Jesu Christi divinitatem, quam soli tunc venerant ejus Discipuli, negabant verò Judaei?

Invisa erat tunc temporis Judaeorum religio apud Paganos; nec sane conciliandae illorum Numini apud Athenienses reverentiae plurimum conferebant ea, quae de ipso Hebraeorum Deo, atque ratione ejus colendi in Templo Hierosolymitano ferebantur, Sparferant enim in vulgus, coli ab ea gente asinum, vel suem, vel caput asini aut hominis, seu nubes & Caelum (o).

Nil prater nubes & Caeli Numen adorant.

Hjsc omnibus reponendum est, nunquam reapse Apostolum voluisse, Deum Caeli sive ejus Filium aeternum, qui pro mundi salute hominis exuvias induisset, ab Atheniensibus divinis honoribus cultum demonstrare, sed illud reputasse tantum, ut vagum incertumque eorum cultum determinaret; Deum annuncians, quem ipsi ad id usque temporis ignorassent, dignum aliquem quem unice venerarentur. Deum colitis ignotum; ego vobis annuncio Numen aliud ignotum, & dignum, in quod obsequia omnia vestra & honores transferatis. Caetera omnia, quae sub generali hac epigraphae Deorum ignotorum, cujuscunque sint nominis, gentis, & regionis, colenda vobis proponitis, neque Dei sibi nomen jure meritoque vindicare possunt, & multum illi singulari veroque Deo concedunt, cui honor & obsequia hominum, tanquam debitum aliquo naturalis, pendenda sunt.

S. Augustinus contr. Cresc. lib. 1. cap. 29. ne ambigit quidem, Athenienses sub obtentu ignoti Numinis verum Deum coluisse; ponit insuper tanquam certum, ideam aliquam vagam & confusam veri Numinis gentis illius mentibus infudisse; quare eorum cultum comparat cultui, quem Schismatici extra Ecclesiam Deo rependunt. Vollebat igitur Apostolus, ut eandem Deum, quem prater Ecclesiam ignoranter atque inutiliter colebant, in Ecclesia sapienter & salubriter colerent. Sed haec Augustini comparatio inter cultum Atheniensium & Schismaticorum in eo tantum versari credenda est, quod utriusque gentis cultui nulla esset utilitas. Schismatici enim profecto Dei, quem colunt, absolutam habent ideam: cum interim Athenienses & verum Deum penitus ignorarent, & referre illi divinos honores ne cogitarent quidem. Metu tantum adducti, ne forte aliquem Deum neglexerent, Aram ignoto Deo excitarunt, ne cogitantes quidem Deum Hebraeorum, cujus facile nomen necdum audierant. Apostolus verò familiari sibi sermonis figura, ex occasione ignoti & incerti Dei, loquendi ansam suscepit, & annunciandi Deum, quem ipsi ignorarent, in quem porrò praestita aliis omnibus obsequia transferenda essent.

o Juven. Sat. 14.

n Gell. 12. c. 28.



DISSERTATIO DE BAPTISMO JESU CHRISTI NOMINE COLLATO.

Baptismi conferendi formulam satis aperte Apostolis suis Jesus Christus tradiderat illis Matth. 28. relatis verbis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Hujus Textus evidenti persuasi Christiani omnes Interpretes olim, & nunc etiam, semper Baptismum in ea verba administrarunt, atque administrandum docuerunt. Quamvis enim in caeteris ejus Sacramenti ritibus & caeremoniis nonnihil apud diffitas nationes varietur; nomen SS. Triadis ab omnibus idem religiosissime servatum est. Apud Graecos & Orientales omnes, exceptis Coptis, in hac verba Sacramentum administrabatur: *Baptizetur talis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Coptae ita usurpant: *Ego te baptizo in nomine Patris, amen. Ego te baptizo in nomine Filii, amen. Ego te baptizo in nomine S. Spiritus, amen.* Ritus Jacobiticus Severi Antiocheni habet: *Baptizetur talis in nomine Patris, amen: Filii, amen. S. Spiritus, amen.* In alio Rituali legitur: *Ego baptizo talem agnum gregis Jesu Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ad vitam aeternam.* Haec solemnnes apud Orientales formulae (a). In Ecclesia Latina ubique servatum est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* In vetustis quibusdam Ritualibus legitur (b): *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut habeas vitam aeternam.* In aliis: *Baptizo te credentem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ut habeas vitam aeternam in saecula saeculorum.* In aliis: *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. unam habentium substantiam, ut habeas vitam aeternam, & partem cum Sanctis.* Praeterea formulas superstitionis seu vitiatas, rejectas ab Ecclesia, de quibus nonnihil infra asseremus. Solum hic immorandum in Baptismo in nomine Jesu Christi tantum collato: cujus occasione duo in examen revocanda sunt. 1. An Sacramenti illius formula unquam obtinuerit. 2. An legitimam auctoritate permessa sit olim, & nunc etiam saltem ad Sacramentum valeat. S. Lucas in Actis non infrequenter me-

minit Baptismi in nomine Jesu Christi: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum (c).* Et alibi (d). *In nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres.* Et alibi etiam [e]. *Nondum enim in quemquam illorum venerat, (scilicet Spiritus Sanctus) sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.* Tandem S. Petrus baptizavit Cornelium (f); *Et iussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi.* Et rursus (g): *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu.* Factum hoc non semel, non per transcursum, non datâ forte occasione, non ambiguis aquivocantibusque res prodita vocibus. Necluculentius unquam nec apertius promeretur quid praestitum sit à Fidelibus, institutione edoctis, & Baptismo initiatis ab ipsis Apostolis, vel sub eorum oculis; aperte enim asseritur, Baptismo illos in nomine Domini Jesu initiatos fuisse.

Plures ex Patribus, nec rara Concilia, in ea quidem fuerunt persuasione, collatum ab Apostolis Baptisma in nomine Jesu Christi, nullo caeterarum Triadis Personarum nomine expresso. S. Hilarius (h) alitè edicit, neque praevocatione accusandos Apostolos, neque damnandas tamquam sibi ipsis contrarias Scripturas, si semel prodant Apostolos iussos fuisse Baptismate initiare fideles in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ipsos verò Apostolos Sacramentum ipsum in nomine Jesu Christi conferre satius duxisse. Agnoscat ergo S. Doctor repugnantiae speciem aliquam inter Evangelium & Acta, in eo scilicet, quod Christus aliter conferendum iusserit, aliter verò Apostoli reapse Baptisma contulerint; quam tamen Apostolorum, si ita loqui fas est, transgressionem nequaquam dammandam, neque tanquam sibi minus constantes rejiciendas esse Scripturas defendit.

Vetus Author, qui Baptismi reiterationem adversus S. Cyprianum negat, fufius demonstrandum suscipit (i), eos qui extra Ecclesiam Baptismate in nomine Jesu Christi collato tincti sunt, nequaquam iterato Sacramento, sed impositione tantum manuum, quod Spiritum S. recipiant, in Ecclesiam admitti oportere; arbitratur enim, Baptisma illud conferendo Spiritui S. im-

i To. i. Concil. pag. 770. Post illum qui foris quidem, sed in nomine J. C. Domini-cum acceperunt Baptisma... an iteratum Baptisma his necessarium esset, ac si nunquam baptizati in nomine Jesu Christi forent. Et pag. 173. Nisi quoque in illo superiore tractatu circa eos, qui tantummodo in nomine Christi Jesu baptizati fuerint, statuas etiam sine Spiritu Sancto posse salvos fieri. Et pag. 775. Nec aliter huic tractatui contrarium esse quod dixit Dominus: *Ite, docete gentes; tingite eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Quia cum hoc verum & rectum, & omnibus modis in Ecclesia observandum sit, & observari quoque solitum sit, tam men considerare oportet, quod invocatio nominis Jesu non debet à nobis futilis videri.* par

a Renaudot tom. 4. Perpetuit. Fidei. 2. cap. 5. b Martene de Antiquis Eccle. Ritib. p. 166. c Act. 2. 38. d Act. 8. 12. e Act. 8. 16. f Act. 10. 48. g Act. 19. 5. h De Synodis n. 85. Ne proferretur Apolloli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti iussu, tantum in nomine Jesu baptizantur.